

gedrucken: Rest-

matio nationis theoloz.

1726

ca

Jg
1466





AMICA COLLATIO,
DE
ÆSTIMATIONE
RATIONIS
THEOLOGICA,

Cum

*Viro Summe Reverendo, Celeberrimo
atque Doctissimo*

HENRICO JAC.
van BASHVYSEN,

S. S. Theol. Doctore ejusque & L. O. Professore, Gy-
mnasii Anhalt. Rectore, Regiæ Societ. Sc. Anglicanæ de
Propog. Ev. & Berolinens. Scientiarum Socio,

Qua simul

Epistolæ Viri Cl. nuper editæ
brevibus respondetur,

Jg 1166
LAMPERTO GEDICKEN,

Præposito Ecclesiæ Præsidii Berolinensis, Ministerii Castrensis
Inspectore, & Consistorii militar. Allessore,

Berolini, ex Officina SCHLECHTIGERIANÆ Viduæ, 1726,

1716. 1554



VIR CELEBERRIME atque DOCTISSIME.

Publica Tua compellatio per epistolam typis exscriptam, licet insperata mihi, tamen non ingrata fuit. Testatur enim de singulari humanitate & moderatione tua, quam erudito & Theologo Christiano dignam semper iudicavi; cum vere eruditus sit, qui e ruditate intellectus & voluntatis emerferit, & Theologus, qui (ut Minutii Felicis utar verbis) non solum magna eloquatur, sed vivat. Et quamvis ea in me non agnoscam, quæ mihi in fronte litterarum Tuarum tribuis; perplacet tamen animi Tui æquitas, qua motus, me a Te dissentientem non hostili animo oppugnās, nec accusas, sed potius Te mihi excusas. Pari igitur animi affectu Tibi, VIR CELEBERRIME, respondebo, & re ipsa ostendam, me salvo amore, a Te dissentire posse.

Occasionem Tuæ epistolæ dedit scriptum meum ultimum contra antagonistam Dessavientem, in quo ad verba Tua in tractatu de conceptione Christi provocavi, non animo, Te lædendi, sed adversarium de vanitate suæ accusationis convincendi. Sibi enim & Reformatis injuriam fieri conquestus fuerat, quod ipsis nimium rationis favorem exprobrassem, cum tamen unicum fidei regulam tantum Scripturam S. agnoscerent. Acceptavi ex parte hanc excusationem in meo responso, & restatus sum, modo genuina sit, & non protestatio factis contraria, nos gavisuros esse, si S. Scriptura unice ipsis sit norma fidei. Formidinem oppositi autem adesse, ex Tuο scripto, quod tum temporis forte in meas manus inciderat, indicavi, his verbis; mirum tamen videri, quod Reformatus quidam Theologus nuperrime publice

publice confessus sit ; *Reformatos non posse non rationem magni facere, cum alias tota ipsorum fides, precipue in doctrina de S. Coena, corrumpat &c.* Ad publica scripta vero provocare, hucusque sine culpa licuit, & etiam mihi Tua pace licebit. Ex hoc autem rerum nexu facile patebit, me non, ut quidem putas & in litteris tuis, Vir Clarissime, scribis, *hanc sententiam Tibi privam (seu propriam) & ridiculam habere ;* Sed saltem me Tuum exemplum, quod in promptu erat, & novissimum, allegare. Nec pro meis verbis agnosco, quæ alterius forte erunt, *societatem ab ingenuis Tibi lectionem dedisse, & quod solus ex Reformatis rationem in thronum collocaveris &c.* Hæc enim in ultimo meo scripto p. 55. & 56. non inveneris, nec mei sunt genii vel ingenii. Non opus igitur erat, ut pluribus demonstrares, Te non solum, sed multos alios inter Reformatos, & magni nominis viros, rationem magni facere, & pro iudice multarum, si non omnium, controversiarum habere. Id enim nec ignotum mihi, nec a me negatum fuerat, sed potius ab adversario Dessaviensi. Sed quæstio non est facti, sed juris, quo iure, vel qua injuria hoc fiat, & qui sint termini rationis, (les bornes de la raison) quos recte dijudicare, non immerito Dn. Claude, quem allegas, rem magnam esse existimavit. Peccatur enim in excessu & defectu. Excessus gignit Naturalismum & Libertinismum ; Defectus Enthusiastum. Medio igitur tutissimus ibis. Non jam animus est, Tecum, V. C. in arenam descendere, & fusius de hoc argumento disputare ; sed cum epistola Tua precipue agat de rationis infallibilitate, & quod ex ratione Reformati pro sua sententia de S. Coena semper argumentum sumserint : aegedum amice conferamus de affirmatione rationis Theologica, quantum per angustos epistolæ limites nobis licebit. Faxit Deus feliciter & non sine fructu !

Ratio est vocabulum *πῶσις*, in quo jamdudum observavi, ambiguitatem latere, cum ipsius rationis definitio vel significatio, non apud omnes una eademque, sed varia esse soleat. Quod nisi evolvatur, nil nisi meras *λογωμαχίας* serit. Ut enim mittam varias Grammaticas significationes, ubi *ratio* tum vim illam nobilissimam animi significat, qua a cæteris animalibus homo discernitur ; tum *consilium* (*Rechnung, Anschlag, Vorhaben*) & sæpe pro *causa* (*Beweis, Ursache*) occurrit, *modumque* rei describit, ut *ratio dicendi* vocatur (*die Art und Weise zu reden*) immo non raro in re *nummaria* ulurpatur, ubi *rationem conferre* est : *Rechnung halten* ; vel tandem *rationem alicujus rei habere*, significat rem curare, de ea sollicitum esse, & prospicere (*dafür sorgen*) quæ omnes, & si quæ aliæ notiones, non sunt hujus fori, nec instituti.

Sunt præterea variæ significationes rationis sensu philosophico. Alii enim per rationem intelligunt *ipsam mentem hominis*, qua cogitat, hoc est intelligit & vult, ut *Rælius* de religione rationali, p. 14. Aliis rationis nomine veniunt *principia rationis* & axiomata, dictamina & placita, de quorum veritate nemini dubitare fas est, quod aliis ratio objective sumpta dicitur. Alii per rationem denorant *ipsam intellectus facultatem* rationemque subjective intelligunt, non ut olim fuit in statu integritatis, sed ut jam post lapsum apud homines existit. Conf. *Jean la Placette de la foi divine*. libr. III. c. XII. p. 361. Alii rationem *abstracte* & respectu habito ad essentiam; alii *concrete* & quoad existentiam considerant. Quapropter acutissimus olim Theologus Schomerus jam sua ætate conquestus est in Theol. Morali cap. III. §. 3. p. 62. *Rationem qua a brutis differimus, alii aliter definiunt; & miserum est, in ipso limine & communi intelligendi principio etiam dissidere philosophos, cum quid illud sit, quo se omnes niti, quodque sequi se gloriantur, indagant &c.* Nisi igitur de certa inter nos rationis definitione vel significatione conveniamus, hoc esset andabatarum more pugnare. Si enim rationis nomine veniant ipsa *principia rationis*, ea, modo vera sint principia, quæ evidentia & certa, a nemine contemni vel rejici possunt, & suum usum in Theologia, præcipue naturali habent, si rite adplicentur, nec falsis principiis commisceantur vel ultra suam spheram extendantur. Unde Apostolus Paulus ex his principiis agit cum gentilibus Actor. XIV. & XVII. & Rom. I. eosque his principiis ad revelationem manu quasi ducit.

Sin vero rationis nomine intelligantur *ipsa facultas intellectus*, vires cogitandi, & habitus cogitandi, quales sunt post lapsum; negari non potest, ipsis inesse corruptionem, imbecillitatem, & maximam imperfectiorem, non solum in rebus divinis & spiritualibus, sed etiam in rebus naturalibus dijudicandis. Unde *Sealiger* ingenue fatetur, *in rebus naturalibus & ante nos constitutis saepe nos adeo cecutire, ut vitreum vas dentaxar cum vulpecula a ciconia illusa lambamus, pulsem & interiora haud attingamus*, Exerc. 307. p. m. 961.

Quid Tu, Vir Celeberrime, per *rationem* intelligas, in dissertatione ad Illustr. & Gener. Baronem de Döringberg p. 8. patet, ubi scribis: *Ratio mihi est vis illa, veritatem, si accedat attentio, clare distincteque percipiendi, includitque (1.) ideas innatas, (2.) vim illas connectendi aut separandi (3.) conclusionem ex iis formandi.* Et in litteris privatis eam describis: *Esse lumen homini a Deo inditum, quod notiones communes omnium scibilium habet, eoque pertinere vires ideas conjungendi & ex iis concludendi.* In qua descriptione videris significationem rationis subjective & objective sumptæ com-

complexi. *Vis enim percipiendi veritatem, ad facultatem intellectus pertinet, & ratio est subjective sumta.* Ideæ vero innatæ & notiones communes ad rationem *objective* spectatam referri debent. Quoniam, si de infallibilitate rationis sermo sit, Te *objective* magis, quam *subjective* intelligere rationem fatearis.

Quod si igitur Theologicè *rationem* jam consideremus ac intueamur: non negamus: (I.) *rationem* esse beneficium primi articuli, sed ultro fateamur in Catechismo Lutheri: Ich glaube, daß mich Gott erschaffen hat, mir Leib und Seele, Augen und Ohren, Vernunft und alle Sinne gegeben hat. Beneficium enim est divinum, quod Deus nobis facultatem res dijudicandi reliquerit post lapsum, ne brutorum instar vivamus, sed possumus λογισσαί. Beneficium est divinum, quod nobis per naturæ lumen nota sint certissima & evidentissima principia, quibus verum a falso discernere possumus, & quæ hominem faciant ἀναπολόγητον. Licet enim post lapsum ratio corrupta dicatur, manet tamen ratio, & probe beneficium divinum ab ipsa corruptione est distinguendum, ut omnes res creatæ sunt a Deo, corruptio a peccato. Et utinam, qui de sua ratione gloriantur, ratione recte & digne uterentur! Christus juvenem istum non culpatur, sed amat, quod ἔβουχώς responderit. Marc. XII. 34. Nemo igitur Theologorum rectum sanæ rationis usum improbabit, sed potius ut beneficium divinum, grata mente agnoscendum, & ad gloriam creatoris atque utilitatem proximi dirigendum, commendabit. Prov. XIII. 16.

(II.) Non denegamus rationi suum usum & ministerium organicum in Theologicis. Ratio enim ut facultas est, potest veritates percipere, unum ex alio concludere, explicationem S. Scripturæ ejusque sensum indagare, & secundum regulas Hermeneuticas dijudicare, in quo usu & ministerio illam a Theologia non excludimus, sed libenter admittimus, tantum non magisterium & dominium affectet. Rationis principia etiam Pædagogice revelationi inservire, & accommodari debita cum circumspeditione possunt, & præcipue suum usum contra Atheos, Scepticos & Naturalistas habent, quippe qui nullum aliud principium, nisi rationem agnoscunt, & a ratione ad revelationem manu quasi duci debent. Hinc bene Mornæus in præfatione de verit. Rel. Christ. observat. *Adversus eos, qui negant principia, ex iisdem principiis frustra disputatur. Sed supersunt forte alia principia utrisque communia, ex quibus utiliter & apte cum iisdem disputari potest, & ita quidem, ut communium principiorum adminiculo, propria illa & peculiaria principia probentur interdum & evincantur &c.* De quo usu rationis circa theo-

logica conferri meretur *Adamsius* in suo Systemate p. m. 7. & *Heideggerus* in Medulla medullæ Theologiæ Christi. Loc. I. p. 3. n. 8.

(III.) Admittimus canonem: *in S. Scriptura nihil esse contra rationem, sed supra.* Ut enim utrumque lumen naturæ & revelationis a Deo sunt, sibi invicem contrariari non possunt, licet gradu luminis omnino inter se differant. Neque enim vel Deus Deo, vel veritas veritati dissonat. Nihil ratio, ut facultas est, si recte rem perpendat, invenerit in tota revelatione, quod sibi ipsi repugnet, licet transcendat rationis fines. Nec ratio recta dici potest, nisi confiteatur, Deum, ut ens summum & perfectissimum, eade se revelare posse, quæ ratio sibi relicta nunquam sine revelatione scire potuisset, & quæ, postquam a Deo revelata sunt, omnem tamen superent rationis ambitum. Et ipsa rationis principia, quoad recta, vera & evidentiæ sunt, nec in applicatione extra sphaeram suam aberrant, cum revelatione amice conspirant. Quod in primis meis veritatibus Christianæ religionis fusius explicavi, ubi Cap. VII. p. 113. inter characteres divinæ revelationis etiam hunc pono, *quod divina revelatio lumini natura non repugnet, sed potius ipsius defectus suppleat*, Conf. pag. 107. & Cap. XXIV. ex professo de concordia fidei & rationis egi, pluribus demonstrans (1) *Fidem non reprobare rationem* (2) *Rationem suos habere limites* (3) *Fidem docere, quæ supra rationem sunt, non contra.* (4) *Sanam rationem non posse pugnare contra revelationem.* (5) *Rationem fide confirmari.* (6) *Rationi magis convenire, Christianam religionem adprobare, quam respuere.* (7) *non esse statim contra rationem, quæ nobis difficilia videantur captumque nostrum transcendant.* (8) *Rationale esse, quæ certitudinem moralem habent, fide suscipere.* &c. & Cap. XVI. de scandalis Judæorum & gentilium agens probavi, non esse, cur Judæis & gentilibus conceptio & nativitas Christi, vel vita ipsius, aut doctrina, vel opera & miracula, vel tandem passio & mors Christi offenculo sint, modo digne rem considerent, & æqua animi lance perpendant. Ex animo igitur subscribo verbis Celeb. Buddei, qui in thesibus de Atheismo & superstitione Cap. 17. p. 621. scribit: *ad Christianæ religionis dignitatem & excellentiam omnino pertinet, quod tantum nihil, quod religioni naturali repugnet, contineat, sed eam etiam purissimam quadam ratione exhibeat, atque confirmet, imo perficiat, & quæ ei ob naturalis luminis imperfectionem desunt, suppleat* &c. Et hoc sensu concedimus, religionem Christianam dici posse rationalem (raisonabel) non sensu Loockiano, sed apostolico Rom. C. XII. v. I. Nec nobis in his contradicit, sed consentit a te citatus *Cl. Pfaffius*. Sed

(IV.) Negamus, rationem in Theologia revelata esse principium cognoscendi, aut normam & judicem. Non enim ex placitis rationis sed

ex revelatione S. Scripturæ πνευματικῆ πνευματικῶς sunt dijudicanda. Principium est, a quo cetera pendent. Quæ igitur sunt supra rationem, illa ex ratione ejusque principiis probari nequeunt, & pro unico principio cognoscendi habent; ΠΑΡΕΝΕΙ; ὁ κύριος εἶπα, Dominus dixit, Deut. IV. 2. Neque Christus vel Propheta & Apostoli in mysteriis fidei populum unquam ad rationis judicium remiserunt, sed unice ad S. Scripturæ judicium. Joh. V. 39. Ef. VIII. 20. Ipse citatus supra Maresius in System, p. 7. fateatur: Theologie naturalis, qua talis, principium esse solum lumen naturale & rationis; Sed quoad Theologiam Christianam sive revelatam, cum omnis illius conclusio sit de fide, debere quoque resolvi in unicum fidei principium & fundamentum, quod est Dei verbum. Nam fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei, Rom. X 17. Et si quas propositiones illis conclusionibus vel elicendis, vel comprobandis adhibet ex ratione & lumine naturali, habent illa potius rationem medii, per quod questio probatur, quam immediati principii, in quo fides resolvitur. Nec temere principia Theologie cum ejus argumentis debent confundi &c. Hinc Herm. Witsius Theologus inter Reformatos Celeberrimus & meo quidem iudicio, ab omni accusatione Enthustasmi (quam ipsi inpingis in Epistol. ad B. de Dörenberg p. 27. & p. 6.) liberandus, in Miscellaneis suis Tom. II. de usu & abusu rationis pag. 586. edit. Barav. statum controversiæ fatis accurate his verbis explicat: Non questio est, an Scriptura doceat quedam mysteria recte rationi contraria? neque an rationi unquam liceat, se scripturæ doctrinæ opponere sub prætextu sue rectitudinis, neque an rationis in investigandæ Scripturæ sensu magnus usus sit? hæc enim utrumque sunt ἀναμυστα βιβλίου. Sed quando in divinorum verborum sensum inquiritur, (1.) an tunc primum consulenda sint rationis, quæ se pro recta gerit, dictamina, ut ea primum de rebus arbitretur, an earum revelatio Deo digna sit, an vero simpliciter attendendum, quid verba in omnibus circumstantiis suis significare apta sint, ut, quod significare comperiuntur, mox pro vero recipiatur, sine ulteriori rerum examine ad prætensa rationis axiomata? Sive utrum satius sit Scripturæ verba flectere, ut rationis axiomatibus conveniant, an rationis axiomata ad eum sensum corrigere, quem Scripturæ verba fundunt. Prius contendunt suæque praxi probant Sociniani, atque utinam NB. hi soli; posterius adfirmant orthodoxi. Conf. ibid. §. 21. p. 591. Si igitur in his rebus inter nos conveniat, de affirmatione rationis Theologica, in verbis erimus faciles.

Non enim simpliciter negabimus, quæ in epistola ad me ponis: (1) Veritates Theologicas esse demonstrativas, nimirum ex suo principio adæquato revelationis, per argumenta certa & evidentiâ. Bene enim Witsius p. 594.

observat; *Fides Christiana non est superstitiosa, aut stupentis animi ceca obstinatio, qua quis non ob aliam rationem credit, nisi quia ita vult credere; Sola rei evidentia, vel propabilitas saltem mentis ad sensum ad se trahit. Ea, ad quam contendere jubemur, fidei πληροφροσία, est eorum, que non videntur, ἐλεγχῶ, Fbr. XI 1. hoc est, rationalis convictio animi per evidentiam demonstrationis, sive ut alibi ait Apostolus, Πανερωσις τῆς ἀληθείας πρὸς πάντων συνειδήτων ἀνθρώπων.* Nec negamus (2) rationis ope (seu ministerio organico) id fieri posse, que non contradicat S. Scriptura, sed eam confirmet. Agnoscimus quoque thesin ante Roellium a nostratibus vindicataam: multa in S. Scriptura supra, nil contra eam revelari posse. Licet (ut in epist. ad illustr. Baron, de Döringberg Te, V. C. Theol. V. explicas) multa occurrant in S. Scriptura, que sint supra rationem, in quibus ratio limitum suorum angustiam cognoscere, & Sapientiam Dei infinitam rimari (mallem dicere mirari) debeat. Idem docent Theologi nostri, B. enim Mulfæus in Dissert. adiuncta introductioni in Theologiam de distinctione Theologiæ in naturalem & revelatam hanc thesin n. XII. p. 32. propugnat: *revelata & naturalis Theologia inter se non pugnant, neque fieri potest, ut, quod in hac est verum, in illa falsum sit, vel contra.* Et in explicatione theses addit, p. 33. *Theologia revelata quidem docet non pauca, que ex rebus naturalibus lumine nature cognitis investigari nequeunt, & proinde sub rationem cognoscendi Theologia naturalis propriam non cadunt.* De quibus multa exempla ibidem profert, e. g. de trinitate, de generatione filii Dei æterna, de Spiritus S. processione æterna &c. & addit: *que hoc ipso, quod supra naturam sunt, ex rebus naturalibus cognosci non possunt. Verum hæc in theologia naturali IGNOTA dici possunt, falsa non item. Ignota quidem, quia, uti dictum, sub ejus rationem cognoscendi propriam non cadunt; Non FALSA, quia res creata lumine nature cognita, que Theologia naturalis rationem cognoscendi propriam constituunt, non sunt ratio, Deum & divina cognoscendi adequata, ut, quecumque ex illis cognosci non possunt, non conformia objectis sive falsa esse oporteat.* Respondet ibidem objectioni: *multa in Theologia revelata non solum non cognosci posse per lumen nature, sed ipsi etiam adversari p. 34. seq.* Nec improbamus, Vir Celeberrime, quod in fine epistolæ scribis: *Te rationem ad (convincendos) Atheos, Socinianos aliosque virginitatem Mariæ negantes, adeoque veritatem Relig. Christ. pervertentes adhibere &c.* quod non culpam, sed laudem meretur. Id enim propositum fuit omnibus Christianæ religionis veritatem defendentibus, quorum Scripta tum ex antiquioribus, tum ex novis recensuit Vir Doctiss. Joh. Albert. Fabricius

Pro-

Professor Hamburgensis. Convincendi & confundendi saltem sunt ir-
 riores Christianæ religionis, si non sunt convertendi. Quod &
 Te, V. C. agere scribis in epistola ad Illust. Baron. de Döringberg
 p. 21. ut saltem ostendas nostræ fidei rationalitatem atque eos (atheos)
 ἀνοπολογήτους facere possis in gloriam Christi. Bene, si usus rationis
 ad convictionem & confusionem hominum, qui sibi sapiunt contra
 Deum, adhibeatur, sed abusus rationis est, si ad vanam gloriam ac fastum
 carnis trahatur. Ratio enim sana (ut recte ibidem p. 23 adferis) de mi-
 seria nos convincit, & hinc verbum revelatum amplecti jubet. Assurgimus
 quoque verbis Tuis, quando scribis p. 24. ratio solo sensu S. Scripturæ, non
 obruso, sed probato, & invento, acquiescit, sed non sufficit prætextu mysterii,
 ut apud Pontificios sit, falsum sensum fidelibus obrudere, verum ille probari
 debet & si probatus sit, nec omne cacumen ascendere possit ratio, illa altitudine
 rei revelatæ & sue finitatis conscia, facile acquiescit & ἐπέχει. Vides in his,
 Vir Celeberrime, consensum nostrum, & hinc facile agnosces, nobis Lu-
 theranis injuriam fieri, si quis nos ut osiores vel contemtores rationis, &
 quod nostra dogmata non ferant Lydium lapidem rationis, accusare velit,
 ut facit anonymus ille Theologus Saxonicus in Dissert. de facultatis Theologica
 Leydensis Syllogismo falso p. 4. Damnant nostri, ut cum B. Danhauero lo-
 quar, abusum rationis Πευδογρηγορίων, μεταβατινὸν, normativum, judi-
 cativum, judicio non modali ac organico, sed reali & magisteriali, discretivo,
 & elenctico eorum, quæ aut clarissime in Scripturis habentur, aut ex iis de-
 ducta sunt. Agnoscunt contra usum rationis (1) adprehensivum & retentivum
 (2) explicativum rerum ex Philosophia reali, mathesi, physica, ethica, politi-
 ca, æconomica, (3) argumentativum deque connexionem sententiarum judicati-
 vum &c. Non video, quid a nobis magis ad æstimationem rationis Theo-
 logicam requiri suo jure possit.

Amamus Tecum, Vir Celeb. (ut scribis p. 3. in programmate de
 studiis & moribus civium Gymnasii Académici Anhaltiani) illuminatam
 rationem, & rationi fidem seu revelationem in S. Scriptura contentam multis
 parasangis præferimus.

Sed superfunt in epistola Tua, Vir Celeb. & in aliis Tuis scriptis, quod
 pace Tua dixerim, quædam δογματικά ὀρθόματα, quæ sunt e.g. De infal-
 libilitate rationis, rationem esse judicem, etsi non omnium, tamen multarum
 controversiarum, verbum ad rationem examinandum, ut in epist. ad Ill. B. de
 Döringberg p. 7. scribis, revelationem, ut lumen secundum, ad hoc primum
 examinari debere, ibid. p. 15. Principium omnium controversiarum esse ali-
 qua-

quatenus rationem, sed imprimis revelationem. *Mysteria, eum in Christo revelata sint, non esse mysteria in re, sed in modo rei.* p. 21 & p. 30. *Mysteria in sensu propriissimo cessare, improprie tamen manere mysteria; omnia in homine esse corrupta preter rationem, in tract. de conceptione Christi p. 15. &c.* Sed ne putes, me iniquum fore verborum Tuorum interpretem, commoda explicatione, quantum fieri sine læsione veritatis poterit, iis succurram. Ambiguitatem in termino *infallibilitatis* latere prævideo, quod vocabulum, ut Latio puriori ignotum, cum alia denominatione conmutatum vellem. Dicerem, ratio seu principia rationis & communes notiones in recto suo Usu non fallunt. Absolute infallibile autem est iudicium, quod nullo modo fallere & falli potest, qualem infallibilitatem non quidem suæ rationis, sed suæ decisionis sibi arrogat Romanus Pontifex. Quam infallibilitatem absolutam rationi ipse denegas in epistol. ad Ill. Bar de Døringberg p. 17. ubi scribis; *ratio convincenti cedit, cumque laudat; Quid enim nobilius est, quam argumentorum pondere ab errore in viam veritatis duci.* En triumphum fidei super rationem! Si enim ratio cedit, si ab errore in viam veritatis duci potest, non est infallibilis, sed fallere potest & falli. *Concedis p. 19. ibid. Sane multa sunt supra rationem, non tantum in theologicis, sed etiam NB, physicis, ut causa ventorum &c.* ergo fateris infirmitatem & imperfectionem rationis etiam in physicis, quod perinde est ac rationem simul declarare fallibilem, cujus iudicium nec in physicis semper sit infallibile. Sed caute in epistola ad me addis; *rationem recte adhibitam esse infallibilem.* Si hoc intelligas de recto usu rationis & recta adplicatione principiorum rationis, quæ vera, certa & evidentiæ & indubitata sunt principia, & intra spheram suam subsistunt, quod, quoad talia sunt, non fallant: non refragabimur, sed hoc non est, rationem esse infallibilem. *Recte se iudicare ratio quidem firmiter credit, quando conceptus seu idæ rerum clare sibi & distincte obversantur; attamen in eo se NB, deceptam esse sepe numero deprehendit, quod putaverat, se aliquid clare ac distincte percipere, cum secus esset, testante Wuisio.* Nisi igitur ratio recte adhibeatur, quod in homine lapsa plerumque non fit, & si in adplicatione peccetur principiorum rationis, fallit omnino & fallitur. Forte autem nihil aliud dicere vis, nisi principia rationis in Theologia naturali de existentia & attributis divinis &c. esse vera, certa, evidentiæ & Atheum fallere non posse, quod facile Tibi, V. C. largiar, ita enim mentem sic dicti Thologi Saxonici capio, *injuriosissime in Deum rationem dici fallibilem.* Sed tamen sunt ea principia nimis generalia, pauca, quæ non eousque pertingunt, quousque nos Theologia ducit, neque ad salutem sufficiunt. Sufficissent quidem absque ulla

illa Revelatione alia, ni intervenisset corruptio per peccatum. Quæ cum turbaverit primum rerum ordinem, sola ratio hoc rerum statu homini viam felicitatis æternæ monstrare nequit restante ipso Vitringa in Aphorismis c. I. n. 39. 40. Falluntur igitur atque fallunt Naturalistæ & Sociniani, si in his tantum subsistere, vel si hæc revelationi opponere velint. Addo, multa post lapsum rationem fovere principia carnalia, quæ sæpius pro principiis rationis venditantur, cum potius sint *Φρόνημα τῆς σαρκός*, quod *Ἐργα εἰς Θεόν*. Rom. VIII. 7. Si vero de facultate rationis & de ratione subjective sumta hæc intelligas, pro me rursus respondebit Witfius Theologus Reformatus in citatis Miscellaneis: *Ratio humana si pro facultate sumatur, uti nunc sunt homines, in nemine mortalium recta, sed multum cæca, vitiosa, & ad errorem proclivis est, sic ut facilius plerumque male, quam bene arbitretur. Eaque corruptio NB. non oritur solum ex infantia præjudicis, aut affectibus, aut consuetudine male judicandi, sed ipsi facultati mentis a primo sui ortu intime inheret; vitio Adami, qui mente, quam rectam a Deo acceperat, turpiter abusus, rectitudinem eam NB. sibi & posteris perdidit, qui omnes in eo peccarunt. Rom. V. 12. ut pullus onagri homo nascitur. Job. XI. 12. &c. Immo in sequentibus addit, quod, quantumvis nitatur, non eo pervenire possit, ut ab omni errore sibi caveat &c. Ergo est fallibilis. Ita certo respectu dicere possum, oculus sanus non fallit, si de certitudine sensuum in se & abstractive sermo sit, sed dici etiam potest, oculus fallit, si extra justam distantiam vel alio accedente impedimento temere judicare velit. Sic e.g. *Malleus in se non fallit*, sed in adplicatione fallit, si imperita manu tractetur. Sed forte dixeris, hoc fieri ab imperitis, si ratio fallat, & non recte adhibeatur. Verum si hoc fieri & factum esse a doctissimis prudentissimisque ex historia doceatur, nonne ratio est fallibilis? *Lactantius de origine errorum* Lib. 2. c. 5. edit. Cellar. philosophos alloquitur: *ac vos, o philosophi, non solum indoctos & impios, verum etiam cæcos & ineptos delirosque probamus, qui ignorantiam imperitorum vanitate vicistis. Illi enim solem & lunam, vos etiam sidera Deos putatis &c.* Cum hac explicatione thesæos de infallibilitate rationis simul corruit thesæis, rationem esse judicem controversiarum multarum, esse non omnium, & rationem principium omnium controversiarum esse aliquatenus, sed inprimis revelationem. Si enim hoc intelligas de Theologia naturali & de articulis mixtis, qui partim per lumen naturæ, partim per revelationem intelliguntur, quodam modo hæc concedi possunt. Sed de Theologia revelata & articulis fidei, qui a sola revelatione pendent, hæc dici nequeunt, ut*

supra pluribus evictum est, nisi sensu inter Theologos plane inusitato, usum rationis circa controversias Theologicas organicum *judicem agere* & *principium esse jubeas*. Optime Hornbeccius Theologus Reformatus in Miscellaneis suis Lib. 2. Diss. 1. p. 236. adserit; *fallibilis est Ratio & nequit ergo iudex esse controversiarum Theologicarum, aut divina & infallibilis veritatis*. Præterea ratio, si iudex esset credendorum, ultima analysis fieret in nos ipsos, & crederemus, quia sic nobis videtur, cum formalis ratio fidei hæreat in divina veritate, & credamus propter Deum, non propter nos, & quia Deus dicit, non vero nos sic vel aliter sentimus. 1. Thess. 2. 13. Quod scribis: *Verbum ad rationem esse examinandum & revelationem ut lumen secundum ad hoc primum examinandum*, laborat rursus ἀνυπολογία, sed mentem tuam, si permiseris, ita capio: rationem, ut lumen a Deo est, æque ac revelatio, non huic adversari posse, sed inservire, ita ut ex ratione argumenta externa de characteribus veræ revelationis divinæ, & de divinitate revelationis duci, & his os blasphemum Atheorum obturari debeat. Quod ipsum est usum rationis organicum in nectendis argumentis pro divinitate S. Scripturæ commendare. Hanc vero Tuam mentem esse, rationem lapidem Lydium esse, ad quem omnia dicta & effata revelationis examinari prius debeant, antequam admittantur, induci vix possum, ut credam. Hoc enim esset, rationem extollere super revelationem, & revera ex Hagare facere Saram, quod absit a Theologo Evangelico. Possunt ad hæc, quæ strictim consideravi ex nostris conferri B. Musæus in peculiari libello de usu principiorum rationis & philosophia in controversiis theologicis; B. Spenerus contra Socinianos. c. 1. §. 2. 3. 4. 16. 18. & quæ in disputatione de eodem argumento habet amicus meus Academicus Dn. Christoph. Suco, Consiliarius Consistorii Magdeburgensis & Pastor Ecclesiæ Cathedralis, sub præsidio olim communis nostri tum temporis Præceptoris Dn. Doctoris Anthonii Theologi moderati & profunde eruditionis; ite Buddens in Theologia Dogmatica p. m. 788. Ex Theologis Reformatis conferri merentur Voetius, Wittsius, Hornbeccius, Alvingius, Saldenus, Spanhemius & alii, qui a Roellio ceterisque hac in parte dissident atque discordant. De significatione vocabuli *mysterii* multum altercari, foret λογουμαχίειν. Sufficit, Te V. C. fateri, quod ratione *modi recte possint dici mysteria, licet non ratione revelationis*. Qui varias hujus vocis acceptiones apud antiquiores scire cupit, adeat *Swiceri Theaurum Ecclesiasticum & Casauboni Exercit. n. 43. p. m. 477. & Joh. Meyeri Dissertat. de mysterio Trinit. p. 13. seq.* Chryostomo *mysterium dicitur, τὸ ἀγνοούμενον καὶ ἀπόρρητον*, quod ignoratur & arcanum est. Quod
omnia

omnia in homine corrupta sunt, præter rationem, locutio videtur plane nova, & vix excusanda; licet enim de ratione objective spectata seu principii rationis, si modo vera sint principia, & limites suos non transgrediantur, intelligere velimus: non tamen negari potest, per lapsum hæc principia esse obscurata, jamque imperfecta, ac interveniente hominum ratiocinatione, & per adfectus in adplicatione hæc principia sapissimè corrupti. Si quis e.g. res supra rationem positas ad ea exigere velit, vel hoc aut illud iis repugnare putet, quod tamen non repugnat. De ratione autem subjective spectata, seu de facultate rationis, quod non corrupta sit, nemo dixerit, quæ, ut totus homo corruptus est, omnino corrupta, cæca, & tenebris obscurata est. 1. Cor. II. 14.

Quæ hucusque in genere dicta sunt de æstimatione rationis Theologica, jam facile adplicari possunt ad doctrinam de S. Cœna, in qua *Reformatos semper pro sua sententia argumentum sumfisse ex ratione* veris Calvinii & aliorum probas, licet verba Calvinii nos non feriant, nec sine injuria nostræ doctrinæ, ea nobis affingi possint *Lactantii* verba vero, quæ ex libro *de opificio Dei* cap. 8. p. m. 630. Edit. Cellar. allegasti, plane non agunt de ratione, sed ut contextum inspicienti patebit, de statu vel ratione & conditione corporis hominis erecti ad cælum, & in sequentibus tandem de mente hominis sermo est: Quare non video, quid hæc verba pro Reformatorum sententia vel laude rationis probent, vel probare debeant. Quod autem Reformati pro sua sententia in S. Cœna argumentum ex ratione semper sumferint, non negabo, sed an jure fiat, inter nos adhuc ambigitur. SACRAMENTA a sola revelatione pendent, cum ratio sibi relicta nil de Sacramentis agnoscat, & proinde mysteria sunt, quæ, ut fateris, sunt supra rationem, sed non contra. Qui igitur doctrinam de S. Cœna ex principii rationis vult dijudicare, committit *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*. Revelationem certam & evidentem ex ore Christi habemus, *Hoc est corpus meum*; Quid opus est, ut, quemadmodum Herm. Witsius loquitur, *primum rationis, quæ se pro recta gerit, dictamina consulamus, an hoc fieri possit, vel Deo dignum arbitretur*; cur non simpliciter adquiescimus in revelatione, quæ pro principio habet: *Dominus dixit*? Hic enim subsistit humana ratio, hic conquiescit. *Ubi enim Deus loquitur, taceat homo oportet*; *Ubi Deus docere dignatur, nostrum est, auscultare, nostrum credere*, ut scite loquitur *Morneus in præfatione de Verit. Relig. Christ.* Si modum ignoramus, nec satis ratione adprehendimus, non tamen rem negare licet, ut ipse *Leibnizius* (quem magni Te facere, novi) recte judicat in discursu præliminari

minari de concordia rationis & fidei §. 56. verba versionis Germanicæ hæc sunt: Wir haben an einem gewissen (τι ἐστὶ) was eine Sache sey, genug; allein das quomodo (πῶς) wie, ist über unsern Begriff und uns auch gar nicht nöthig. Sed puras ἀόυσατα esse cum Dn. Alphonso Turretino & repugnare rationi, & veritati humana nature contrarium esse, nec omnipotentiam Dei posse aliquid efficere veracitati ejus contrarium. Verum enimvero multa videntur, & non sunt. Nos cum præsentiam corporis Christi adstruimus in S. Coena, non loquimur de præsentia mere naturali, vel physica, multo minus Capernaïtica, ut nobis sæpe affingunt, qui nostram thesin non recte capiunt, vel capere nolunt; nec agimus de corpore mere humano seu Ψιλανθρώπου nec de modo naturali. Hoc enim esset ἀόυσατα docere, sed loquimur de præsentia supernaturali, in veritate & potentia promittentis fundatoris fundata, de corpore Christi majestatico, & Θεανθρώπου in unione arctissima divinæ naturæ, & non vi suæ naturæ, sed unionis gratiosæ, de corpore, jam in statu exaltationis existenti, atque de modo nobis imperferutabili. Hoc rationi non repugnat, est enim extra cancellos rationis, & supra rationem.

Nec tamen irrationabile est, hoc credere Domino docenti, cui nihil est impossibile, Luc. I. 37. imo multo rationi convenientius esse credo, adfentiri revelationi, quam (ut cum Wittsio loquar) verba Scripturæ flo-
 edere, ut cum axiomatibus rationis convenient. Augustinus enim de utilitate credendi contra Manichæos. Si Christo (inquit) credendum negant, nisi indubitata Ratio reddita fuerit, Christiani non sunt. Et ad Honoratum: Rationis est, nulla ratione reddita, Deo credere. Nec sibi repugnat Christi corpus esse verum corpus, & tamen pluribus adesse locis. Ipse enim Leibnizius fatetur, quod dici cum ratione nondum possit, præsentiam corporis Christi in pluribus locis realem contradictionem involvere, quia nondum hucusque explicatum sit a quoquam, in qua essentia corporis consistat. Conf. Cl. Passii Dissert. apol. de contradictoriis. p. 15. Et miror sane, cum rationalitatem conceptionis Christi agnoscas, (quod est mysterium supra omnem rationem,) TeV.C. rationalitatem præsentia Christi in S. Coena in dubium vocare velle. Si enim ex meris principiis rationis concludere liceret, pari modo ratiocinari Judæus quidam posset, nec per omnipotentiam Dei fieri posse, ut virgo pariat, cum ἀόυσατα sint, virginem esse, & parere. Sed procul dubio respondebis, conceptionem Christi non secundum ordinem naturæ factam esse, nec legibus naturæ & rationis dijudicari posse, sed per omnipotentiam Dei factam & omnes limites rationis transgredi, quod rationi

tionem non repugnet, cum Deus ultra vires naturæ prædire possit, & hoc maxime rationabile & Deo dignum sit in natiuitate filii sui. *Ut Rupertus Tuitensis in lib. de victoria verbi loquitur: Supra naturam virgo parere potuit. Non dicimus contra naturam, quia non est iniuria nature, sed dicimus supra naturam, quia est nature gloria. Quæ ratio est dicere, quod non potuerit supra naturam, qui fecit naturam? per verbum omnia facta sunt, si omnia, profecto & natura fœmina lib. XI. c. 26. Quidni igitur conciliare liceat præsentiam corporis Christi in S. Cœna cum sana ratione? Licet modus omnem rationem superet? Quæstio enim eo redibit, num Christus vi suæ promissionis, nobis in S. Cœna, modo incomprehensibili verum suum corpus & sanguinem manducantibus & bibentibus exhibere possit, & num hoc sit contra rationem? Quod posterius nunquam sana ratio demonstrabit. Caterum accusationem consubstantiationis nobis imputata iterum iterumque deprecamur. Testatur concio mea typis exscripta de præsentia corporis Christi in S. Cœna contrarium, & ad omnia Lutheranorum Systemata confidenter provocare possum, nos nullam docere consubstantiationem, sed sacramentalem unionem. Elementa enim externa panis & vini sub iudicium rationis cadunt, & foret omnino contra rationem, statuere Transubstantionem vel Consubstantionem, quod a nobis Lutheranis quam longissime abest.*

Sed satis hucusque magno animorum aestu disputatum esse in his Sacramentariis Disputationibus &c. non immerito, V. C. in fine epistolæ Tuæ doles. Et ego doleo, me invitum, & nil tale cogitantem, in hanc arenam protractum esse ab Adversario Desslaviensi. Placide & sine insultatione aliorum nostram doctrinam præ concione proposueram in thesi; nec id impune licuit, & ipse nosti, quam acerbè meus antagonista me tractaverit præter meum meritum. Unde fatius esse duxi, filium disputationis abruptum, & veritatem satis defensam aliis dijudicandam relinquere. Quod Te V. C. Colloquia pacifica & familiaria ad inveniendam tandem quæsitam Protestantium unionem omnibus disputationibus præferre, scribis, facis quidem, quod hominem pacificum & moderatum decet. Et facile Tibi adfentirer, nisi sub consiliis unionis anguem latere in herba hucusque sensissem. Multi enim, qui hanc unionem promovere student, ad principia violenta, atque persecutionem spirantia inclinant, quia, quod argumentis impetrare distadunt, brachio seculari assequi volunt, quæ non est methodus Christi nec Apostolorum, sed Antichristi, ut ipse fateris in Tua epistola; absit autem (inquit) auctoritate pugnare in regno Christi, & sic Antichristi

richristi methodo uti illam ecclesiam, que se reformatissimam esse putat &c.
Non igitur sunt consilia irenica, sed periculoisissima, cum svadent, e. g.
dissentientes ad terram australem incognitam esse relegandos, adiaphora vi &
minis esse invitis obtrudenda, & qui hiscere audeant, pro rebellibus declaran-
dos, qui non propter Religionem sed rebellionem coërceantur. Quis non un-
gues lupinos sub pelle ovina agnoscat? Deus meliora! in consilium eo-
rum non veniat anima mea! Quid enim hoc aliud, quam suo se gladio
jugulare, & furorem Pontificiorum armare contra Protestantes? Si enim
hoc Protestantibus inter se licet, quid non sibi licere adversus Protestan-
tes putabunt Pontificii? Sed propterea non sum hostis pacis, quin tole-
rantiam mutuam sanctissime colo, & unicum judico tot dissensionum inter
Protestantes esse levamen, Cætera unionis sunt pia desideria, quibus
Deus suo tempore annuat, & animos sensim magis magisque præparet! De
Sincero ab ingenuis nihil habeo, quod addam, albus an ater sit nescio.
Theologus sane non est, sed vir, ut mihi videtur, dubiæ religionis.

Hæc sunt, Vir Celeberrime, quæ amice Tecum conferre hac vice
licuit. Boni consulas, & cum sine omni bile scripta sint, pari adfectu,
suscipias. Quod restat, Tua, Vir Celeberrime, in rem litterariam me-
rita veneror, & ut diu Deo & bono publico vivas, ex animo
precor. Vale! Scripsi Berolini die XVII. Septembr.

clb lo cc xxvi.



AD
VIRVM SYMME REVERENDVM, CLARISSIMVM, DOCTISSIMVM^{que},
DN. LAMPERTVM GEDICKE,

Pr. & Insp.

EPISTOLA,

Occasione scripti Ultimi

CONTRA

DIACONVM DESSAVIENSEM,

EDITA

AB

HENR. IAC. van BASHVYSEN,
S. S. TH. D. EIVSQVE ET L. O. PROFESSORE, ET GYMN. ANH.
RECTORE, &c. &c.
SERVESTÆ,

Vir Clarissime!

Nunquam de Te nisi Optime judicavi, & merita Tua sæpe miratus sum, statuo enim cum Judæis, Eruditum hominem, in quavis Secta, a Studio sapientiæ honorari debere: Tua vero Studia, Tuosque pro Ecclesia Christi labores, non nisi Historiæ Literariæ rudis ignorabit, & iniquus carpet. Quare admodum contristabar, quando audiebam, non jam dico, Te in alia omnia a meis sententiis abire; Nam dissentire amicos, salva amicitia, semper apud æquos, qui nullum in conscientias dominium affectant, licuit, licebitque porro, sed Te meam de *Infalibilitate rationis* sententiam scripto Tuo contra Diaconum Dessaviensem pro mihi priva, imo & ridicula habere. Meditatus sum sæpe, fateor, num Tibi respondere velim, vel non, inprimis cum Typographo Gymn. Anh. prohibitum esse sciam, scripta *Eristica* imprimere, nam Reformati *Irenica* Eristicis præferunt, ex communi sententia: Utinam vero nonnulli ipsorum non vibrarent gladios in propria viscera, carpunt Academies *Heresificantes* (ut vocant) interim *Hereseos* suspectos faciunt illos, qui putant (1) veritates Theologicas esse *Demonstrativas* (2) *Rationis* ope id fieri posse, quæ non contradicat S. Scripturæ, sed eam confirmet; Unus locus, vult esse

esse norma alterius. Diaconus Professoris per XXVI. Annos, in sua Palastra exercitati: Rem vero miram, si æqui per argumenta hac de re iudicent, sin vero Auctoritate decidatur, ex odio personali, in caput Rectoris Anhaltini redundaturam. Absit autem Auctoritate pugnari in Regno Christi, & sic Anti-Christi methodo uti illam Ecclesiam, quæ se *Reformatissimam* esse putat.

Tu vero Vir *Clarissime*, Tecum *Christianus Philadelphus*, Vir genii pacifici, ut ex ipsius scripto patet, & *Antonius Drafse Austriacus*, ferventioris ingenii homo, sed Doctissimus, seducti auctoritate *Sinceri* (minime *Sinceri*) ab *Ingenuis* (Inferis) præcipue ultimi scripti *Diaconalis*, putas, illam *Societatem* ab *Ingenuis* (Inferis) mihi Lectionem dedisse, quando solus ex *Reformatis* rationem in thronum collocavi, unde miraris, me solum cæcum esse inter reliquos *Reformatos*.

Quare ne in ea opinione diutius verferis, & Tecum forte plures, me solum inter *Reformatos RATIONEM*, etsi non omnium, tamen multarum *Controversiarum* iudicem esse, paucis his, Te in meliorem perducere sententiam conabor.

Primo quidem quid *RATIO* sit nosti, quomodo ipse definiam Ep.ad III. Dn. D. B. de *Döringberg*, Legatum Seren. Hass. Landgravii in Comitibus Ratispon. anno 1720. edita, satis superque docet, quam exhibent meæ Anim, *Sel. Delfenses* Tomo statim I. Viri Clarissimi, *Roell, Sal. v. Til, Bachmann, Andala, Lampe, Reiser & Keiser*, qui vel Theologiis Naturalibus vel disp. de ratione conscriptis, immortale decus sunt nacti, quomodo eandem definiverint, apud ipsos (dulcius enim ex ipso fonte bibuntur aquæ) legi potest, nos hic brevitati litamus. De ejus infallibilitate cum infinitæ lites ortæ essent: Clariss. *Lampe* putavit, eas commode ita terminari posse, si statuamus, eam *subjective* errare posse, non vero *objective*.

Aliis aliter has lites componere placuit: Imo jam *Fr. Burmannus* Theologus nulli secundus, (in *Francisco & Petro* filiis doctissimis nunquam motiens) in disp. de natura *Logices* §. VIII - XII. suas cogitationes hac de re evulgavit. Absit me ita arrogantem esse, ut has lites componere vellem, tamen non tantam clandestini hostes mei, in meam conscientiam vim postulare videbuntur, ut mihi in malam partem vertere possint, si ostendam, eos mihi lectionem (das Chapitre lesen) dare non posse, quos Deus *Judices* conscientiæ meæ non fecit, quando ex incomparabilis scriptis *Wittichii* haustam, & per *Cl. Roellium* ad me propagatam Theologicam Thesin defendo, (1) *Rationem* recte adhibitam infallibilem esse (2) Multa in S. S. *supra*, nihil contra eam revelari posse (3) *Reformatos* ex ea pro sua de S. C. sententia semper argumentum sumfisse; Quas *Theses* decidant *Reformatæ Academicæ*,

demia, nos non altercabitur, sed sine ulla acerbitate, maxime contumeliis, rem pacifice considerabimus; Non Te oppugno, sed me coram Te Tuique similibus tantum excuso, defendoque.

Ergo, provoco primo ad ipsum *Calvinum*, qui licet in genere non *entis* (ue loquitur *Maresius*) ramen *moris* eam corruptam, pro veteris *ævi* simplicitate clamabat, tamen aut apertis oculis cœcū, & sole lucido, tenebræ me occupant, quando ad S. C. ventum esset, ratiocinatur, quando *Inst. L. IV. c. 17. §. 19.* ita loquitur: *Nos vero talem Christi præsentiam in Cena statuerè oportet, quæ nec panis elemento ipsam affigat, nec in panem includat, nec ullo modo circumscribat, (quæ omnia derogare cœlesti ejus gloriæ palam est) deinde quæ nec mensuram illi suam auferat, vel pluribus simul locis distrahat, immensam illi magnitudinem affingat, quæ per cælum & terram diffundatur: Hæc enim naturæ humanæ veritati cum obscure repugnant. (quid explicat, natura humana quid sit, quam Ratio seu veri nominis philosophia?) Iffas inquam duas exceptiones nunquam pacemur nobis eripi. Nequid cœlesti gloriæ derogetur; Quod sit dum sub corruptibilia hujus mundi elementa reducitur, vel alligatur ullis terrenis creaturis, Nequid ejus corpori affingatur humanæ naturæ minus consentaneum, quod sit dum vel infinitum esse dicitur, vel in pluribus simul locis ponitur.* p. m. 494 Col. 2. editionis elegantissimæ Lugd. B. 1654. in Folio. Qui argumentatur ex naturæ humanæ veritate, ille negat, omnipotentiam Dei posse aliquid efficere veritati ejus contrarium, Jam natura humana est extensa, ergo non potest esse invisibilis, nec Deus ipse eam potest facere invisibilem, indivisibilem &c. sic ratiocinatur, Ergo quando *Calvinus* ita loquitur, ratiocinatur, pluribus non opus est. Quid *Maresius* hic loquatur, videri meretur in *Præfat.* ipsius *Witschii* ad suam *Theol. pacificam.*

Quid *Lactantius* de ratione scripserit, & quantis eam encomiis afficiat legi meretur peculiari Libro annexo *Inst. divinur. Libris, de officio DEI §. 3. p. m. 848. ed. pulch. Lugd. B. 1660.* *Hominis itaque solius recta ratio est, & sublimis status, & vulnus Deo patri communis, ac proximus, originem suam, fœderemque restatur. Quid Tertullianus, & ex eo scripturarii in Belgio Theologi (quos olim Coccejanos phrafi hostium suorum vocabant) dixerint, si scire cupis, adi Virum Summe Reverendum & Celeberrimum, *Dn. Gerbardum van der Meulen*, *Prodromi Theologiae* p. 28. *Solaque ergo ratio audiri non tantum debeat, donec ad Revelationem hujus omnino expertes deducantur, secundum illud Tertulliani: Præmisit Deus naturam magistrum, submissurus & Prophetiam; quo facilius credas Prophetia discipulus Naturæ. Sed & ipsis, quoque cœlitus revelatis, ubi jam divina habentur, recte percipiendis, conferendis, illustrandis, quin & confirmandis, etiam e suo penu non inutilem sapius operam sana Philosophia Theologia communes Veritates non egressa præstet, ut egressam maxime Historia illustret.**

Sequitur Doctissimus Gallus, Summe Rev. *Job. Claudius Tr. Gall. de Euch. P. 2. c. 1. & 2. p. 135. seqq.* Qui ita de *Eucharistia* scribit, quemadmodum *Roellius*, si litium pleno sese tradidisset argumento, scripsisset & scribentem habemus Virum Doctissimum, *Dn. Joh. Alphonsum Turresinum*, in *Elegantissima diss. de αὐτοματῶν* an simul possint esse vera: Nec aliter contra *Transsubstantiationem* scribit Doctus *Matth. Christoph. Pfaffius*, quam *Turresinus*, contra *Consubstantiationem*: Doctissimus *Claudius* in conflictu cum *Novæ Jesuita* doctissimo argumenta ex *Ratione* petita, priore ponit loco, hoc solum dicit nos omnem modum capere non posse, quia finitum infinito per rei naturam non potest esse capax, comprehensibilia a contradictoriis distingui

tingui debere, aliud est apprehendere, aliud plene comprehendere : Hoc non potest
sinitum ens in naturalibus, multo minus in supernaturalibus. Hic cicuranda sunt
curiosa hominum ingenia, magna res est scire *les Bornes de la raison*, (ut loquitur
Dn. *Claude* Theologus acutissimus) modesta ratio sibi ipsi limites ponit.

Novorum de ratione Theologorum Reformatorum sententias, cum nuperus
Resp. noster Dn. *Herklosch* congererit in disputationis angustos limites, & hostes
simos omnis prolixitatis, hic poterimus abrumpere, & ad Doctissimi Juvenis Disp.
Valedictoriam de *Theol. nat. præstantia & utilitate*, B. L. Lectorem remittere : Al-
legat *Societas* ab *Ingenuis* (inferis, maledicere, quodlibeticum, dogmatistam, Atheum,
ex homine orthodoxo facere est contumeliam inferre, quod ex orco est & ad or-
cum ducit Matth. V. versu 22.) pro se *Verulamium*, sed mihi non esse contrarium,
facile observassent, si eum recte legissent : Nolo autem par pari referre, alias osten-
derem in ipsorum scripto ubique eminere *Personale odium*, incivilitatem, aliaque
quæ merito carpit Cl. *Joh. Fabricius*, in recensione modestissime & honorifice se
tractantium Adversariorum, non personæ sed rei, *Maffei* & *Pfaffii*, quorum exem-
plum aliis præscribit disputatoribus, si velint ostendere, veritatem ipsis cordi esse :
Nam iratum animum qui habent, illi personas premere & suspectas facere conan-
tur, misso examine veritatis, hinc colloquia pacifica & familiaria, ad inveniendam;
tam diu quæsitam Proestantium unionem omnibus præferem disputationibus :
Satis hætenus magno animorum æstu disputatum est, & in talibus *Sacramentariis*
disputationibus *cræmie* millies costa recoquitur, animi exacerbantur, & in Regno
veritatis parum proficitur.

Hinc ne Tibi Vir Clarissime Doctissimequæ molestus sim, hic abrumpo & Te,
atque Doctissimum *Christianum Philatesbum* & Cl. *Anton. Drase, Austriacum*, valde
rogo, ne credatis, me solum esse inter Reformatos, qui rationem magni facit, sed
plures, imo omnes saniores habere socios, imo ipsum Cl. *Pfaffium*, qui p. 290. des
nðstigen Unterrichts von denen zwischen der Röm. und den Protestirenden Religionen obshaw-
benden Streitigkeiten / ita loquitur : Siehe da / das ist ein unsehlbares Kennzeichen von
der Wahrheit der Christlichen Religion / das sie nichts befiehlt zu glauben / das da wieder die
gesunde Vernunft die uns GOTT eingepflanget / und dadurch er sein Bild in unsrer Seelen
eingepräget hat / freitet.

Ego ad Atheos, Socin. aliosque Virg. Mariæ negantes, adeoque veritatem Rel.
Christ. evertentes, rationem adhibueram, contra quam illi ea uruntur, dicentes eam
nostræ adversam esse sententiæ : *Bayle* dicit, fidem triumphare rationem, ego cum
Leibnizio, *Roellio* aliisque & ipso Dn. *Claude* dico, non, talem triumphum non esse
VERITATI REL. CHRIST. honorificum, adeoque neutram vincere alteram,
utrasque in vero esse, quia lumen lumini, Deus Deo, non potest esse contrarius :
Quæ in speciali mihi opposuere, hic non memoro, quia Te non tangunt, & Exerc.
piet. XXXVI. jam absoluta sunt, & occasio hujus afflicti scripti Vernaculi satis ape-
ritur adj. Programme, quo simul vitæ & Studiorum meorum rationem reddo, quæ
ut Benevole accipias, vehementer abs Te peto ; Præcipue ut me ab eorum credu-
litate, qui putant in illo *Sincero* aliquid falsi esse, absolvas. Nam absit me Tecum
certare velle, qui Paci operam do, & hæc scribo, ut me penitus, imo melius quam
antea, cum simpliciter accusabas, cognoscas. Vale & fructe gratia Dei & M. Poruss.
Regis, Scripti Serv. d. XXV, Aug, M DCC XXVI.




Fg 1466

ULB Halle

001 586 459

3







AMICA COLLATIO,
DE
ÆSTIMATIONE
RATIONIS
THEOLOGICA,

Cum

*Viro Summe Reverendo, Celeberrimo
atque Doctissimo*

HENRICO JAC.
van BASHVYSEN,

S. S. Theol. Doctore ejusque & L. O. Professore, Gy-
mnasii Anhalt. Rectore, Regiæ Societ. Sc. Anglicanæ de
Propog. Ev. & Berolinens. Scientiarum Socio,

Qua simul

Jg 1466
Epistolæ Viri Cl. nuper editæ
brevibus respondetur,

LAMPERTO GEDICKEN,

Præposito Ecclesiæ Præsidi Berolinensis, Ministerii Castrensis
Inspectore, & Consistorii militar. Allessore.

Berolini, ex Officina SCHLECHTIGERIANÆ Viduæ, 1726,

1916, 1854